BIBLIA LATINA, BD. 2
Salzburg (?), 2. Viertel 14. Jh. Seite 161r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=46681
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



iudas in azotum in terram alienigenarum et diruit aras eorum et spolia deorum eorum igni succendit et cepit spolia ciuitatum et reuersus est in terram iuda. XVII

Et rex antyochus perambulauit superiores regiones et audiuit esse ciuitatem elimaidem in perside nobilissimam et copiosam in auro et argento. templumque in ea locuples ualde. et illic uelamina aurea et lorice et scuta que reliquid alexander philippi rex macedo. qui regnauit prius in grecia et uenit et querebat ciuitatem capere et depredari eam. et non potuit quoniam inuotuit sermo his qui erant in ciuitate. et insurrexerunt in prelium et fugit inde et abiit cum tristicia magna et reuersus est babiloniam. et uenit qui nunciaret ei in perside quia fugata sunt castra que erant in terra iuda. et quia abiit lysias cum uirtute forti in primis. et fugatus est a facie iudeorum. et inualuerunt armis ac uiribus et spolis multis que ceperunt de castris que exciderunt. et quia diruerunt ab hominacionem quam edificauerant super altare quod erat in iherusalem et sanctificacionem sicut prius circumdederunt muris excelsis. scilicet et bethsuram ciuitatem suam. Et factum est. ut audiuit rex sermones istos expauit. et comotus est ualde. et cecidit in lectum et incidit in languorem pre tristicia. quia non est factum sicut cogitabat. Et erat illic dies multos. quia renouata est in eo tristicia magna. et arbitratus est se mori. et uocauit omnes amicos suos et dixit illis. Recessit sompnus ab oculis meis. et concidi et corrui corde pre sollicitudine. et dixi in corde meo. In quantam tribulacionem deuenit. et in quos fluctus tristicie in qua nunc sum. quia iocundus eram et dilectus in potestate mea. Nunc uero reminiscor malorum que feci in iherusalem. unde abstuli omnia spolia argentea et aurea que erant in ea. et misi auferri habitantes in iudea sine causa. Cognoui ergo quia propterea inuenerunt me mala ista. Et ecce pereo tristicia magna in terra aliena. Et uocauit philippum unum de amicis suis. et preposuit eum super uniuersum regnum suum et dedit ei dyadema et stolam suam. et anulum. ut ea duceret ad antyochum filium suum. ut nutriret eum et regnaret. Et mortuus est illic antyochus rex. anno. c. xl. uiii.

Et cognouit XVIII lysias quoniam mortuus est rex. constituit regnare antyochum filium eius pro eo. quem nutriuit adolescentem. et uocauit nomen eius eupater. et hi qui erant in arce concluserant israel in circuitu sanctorum. et querebant eis mala semper ad firmamentum gencium. Et cogitauit iudas dispergere eos. et conuocauit uniuersum

161